



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Iustinianus quoque venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Vsum tamen enthronisticorum approbavit. Explicatur ejus Novella. Notatus Gothofredus I.C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Diecepsi Afiana mos iste invaluerat ut pecuniis ordinationes omnes redimerentur. Quod cum ab Antonino Ephesino Episcopo, Diceceus illius Exarcho, impudenter gereretur, qui pro modo reddituum pecunias exigebat teste Palladio, Ioannes Chrysoftomus Ephesum se contulit, ut castigatis ejus criminis reis, morbo mederetur in posterum. Sex itaque, Antonino cognitione pendente defuncto, Episcopos deposuit: qui cum *juxta morem receptum* pecunias a se datas docuissent, obtinuerunt jus repetendi eas ab heredibus Antonini. Alioqui enim non fuisset illis data conditio ob turpem causam. Sed Concilium Chalcedonense canone secundo tantum nefas Ecclesie universalis auctoritate confodit, prolata & extenta pena depositionis in gradus omnes clericatus & in officiorum ecclesiasticorum promotiones, si fiant per turpem lucri negotiationem, & adhibito anathemate in monachos & laicos criminis participes.

VI. Ratio prohibitionis designatur in canone illo his verbis; *sub pretio redegerit gratiam que non potest vendi, sed d' oparoi xpo.* Quod significare vult, hoc est. Cum illa atque ordinatio sive *xporotias* completeretur electionem personae atque illius consecrationem per impositionem manuum ipsamque in Ecclesia certa institutionem, (unde necessarium est ex canone sexto Chalcedonensi ordinandos ad aliquam Ecclesiam specialiter pronuntiar, *απαρρητοσύνη*) totum illud negotium a digniori parte nomen sumpsit *xporotias* sive ordinationis, quae manu imposita ordinem confert. Quare cum pars illa principalis, ad quam duae aliae referuntur per connexionem necessariam, Spiritus sancti gratiam donet, non potuit cadere in commercium, ut docuit Petrus in repulsa Simonis. *Vivit Spiritus sanctus omnipotens Deus noster*, inquit Sidonius in Concione libro septimo epistolarum, *qui Petri voce damnavit in Simone mago cur opinaretur gratiam benedictionis sese posse pretio mercari.* Rejctaeque sunt cavillationes Antonini Ephesini, qui redditus Ecclesiarum suae negotiationis causam praetendebat, cum *pro modo reddituum* pretia constitueret. Neque enim Ecclesiae tradebantur nisi ratione ordinis, neque etiam electio antecederet nisi ad ordinem postea consequendum. Quare omnia comprehendebantur damnatione illa quae gratiam commercio exponerebat. Vnde simoniaca pravitas imò etiam haeresis dicta est à Gregorio primo passim, qui in electione personae eam committi docet, ne quis eam in sola manuum impositione venali versari sibi persuadeat. Vnde in elegantissima

epistola ad Syagrium *lib. 7. epist. 110.* data anno DCCIX. haec sunt illius verba, *In sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura praeservetur electio, ut ad summa sacerdotij non suffragio venditorum proventus sed Dei credatur esse judicio.* Probat autem vetitam hanc negotiationem, quoniam Dei donum vendi non potest; deinde quoniam quod gratis acceptum est, gratis ex dandum. Quem Matthaei quoque locum sumptum ex capite decimo urserat in hac causa Gennadius Patriarcha CP. in Concilio Constantinopolitano anno CCCCXIX. libro tertio Juris Graeco-Romani. Decreto suo vasm illorum interpretationem excludit qui fraudem faciebant Concilio Chalcedonensi, pecuniis datis post ordinationem. De utroque enim tempore antecedenti & subsequenti docet intelligendum esse canonem. Et consuetudinem contrariam abolet, quae in provincia Galatiae invaluerat.

VII. Planè utramque partem & electionis & ordinationis obnoxiam esse huic crimini simoniae docent diserta Leonis Imperatoris verba. *Nemo gradum sacerdotij pretij venalitate mercetur. Quantum quisque mercetur, non quantum dare sufficiat, estimetur. nec pretio sed precibus ordinetur antistes.* Infrà: *Si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecunie interventu subjisse, aut ut si quis ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & laesae majestatis accusatione propofita, à gradu sacerdotij retrahatur.*

L. Si quemquam. C. de Episc. & Cleric.

VIII. Iustinianus quoque constitutionibus aliquot venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Usum tamen quandam ante suam aetatem inductum de enthroniasticis solvendis, quibusdam adhibitis cautionibus approbat in Novella CXXIII. cap. III. cujus loci genuinum sensum, non omnibus obvium, patefaciemus. Episcopi ordinati, etiam si Patriarchae essent, sive Metropolitanis, certam pecuniae summam Archipresbytero sive Archidiacono ordinatoris tradebant, illis exolvendam quibus competebar ex more; tripli pena decreta in eos qui pretium constitutum excederent. Modus illius in Patriarchis non excedit viginti libras auri; in tenuioribus verò episcopatibus, trecentos aut ducentos solidos vel circiter pro modo reddituum. Putabat Gothofredus in usum Ecclesiae & pauperum hanc quantitatem conferendam: quoniam eorum curam gerebant Archipresbyter & Archidiaconus, quibus erat tradenda. quod potest juvari ex septima synodo, quae Ecclesiis dandi, &

Vide supra lib. 6. cap. 10. §. 4.

ex Gregorio in dicta epistola, qui pauperibus erogandi morem ab ordinatis servatum commemorant, licet damnent. Sed non opus est conjecturis, cum sint aperta Novellæ verba; quæ partem quantitatis illatæ Episcopis ordinatoribus, alteram vero partem Clericis ministrantibus & Notariis attribuit. Ius illud dicitur à Iustiniano *συνθετα*, sive specialius *Inthronisticum*, quod Iulianus Antecessor vertit *Cathedraticum*; differtque toto genere à *Cathedratico*, id est, à duorum solidorum præstatione quam in synodis Presbyteri subditi Episcopo deferebant, cujus meminit Concilium Bracarense secundum canone secundo. Vnde Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus hoc caput Novellæ rectè inscribit *Ἐπὶ συνθεταῖν ἢ τοῖ ἐθροῦν ἐχέσθης ἐκκλησίας*. Ex nomine apparet color quæsitus huic pecuniariæ præstationi. *Inthronisticum* dabatur ratione throni sive cathedræ adeptæ. Missio enim illa in possessionem dicitur à Græcis *Ἐθρονιασμός*; quam recentiores in Canonicis à stalli chori dicunt installationem. Sanè videbatur æquum à sumptibus itinerum Episcopos relevari, qui è diffitis civitatibus ad metropolim accedebant, ibique dies aliquot transigebant ad ordinationes peragenda, & honorarium aliquod Clericis ministris tribui. Ceterum Iustinianus non induxit has præstationes, sed potius ad legitimum modum coercuit: *Ne ex talibus occasionibus, debitis Ecclesie prægraventur, & sacerdotia venalia fiant*; ut loquitur in Novella.

IX. Nec omittendum hac Novella cap. xvi. concedi quoque Clericis ab Episcopo ordinatis ut consueta salaria solvant, *emphanisticorum* sive *insinuativorum* nomine, Clericis quibus dari solitum erat, *Ἐμφάνιστος* & *ἰδίας ἐμφανείας*, pro *insinuatione* sua, id est, quòd Clericorum in matricula nomina descripsissent & insinuassent actis ecclesiasticis. Ea tamen lex est adjecta, *ut anni unius diaria, sic vertit Iulianus, non excedentes summas præstent*. Quam *insinuativorum* solutionem tolerat Iustinianus in majori Ecclesia Constantinopolitana, sed non in ceteris Ecclesiis, Novella quinquagesima sexta. Quod ultimum non intelligitur de omnibus omnino Ecclesiis, (id enim contrarium esset Novellæ cxxiii.) sed de Oratoriis urbis Constantinopolitanæ; ut colligi potest ex verbis Iuliani Antecessoris num. cxc. *Si quis in Constantinopolitana civitate Clericus fuerit factus, siquidem magnæ Ecclesie Clericus sit, emphanistica præstet que ex consuetudine præstari oportet. Sin autem alterius Oratorij Clericus fuerit, nihil ab eo emphanisticorum nomine exigatur*.

Illud etiam hinc probatur, quòd Iustinianus Defensores Ecclesie Constantinopolitane hortatur ut hujus legis executioni invigilent, scilicet in urbe. Neque enim in aliis episcopatibus aliquid poterant. Vetus scholion Græcum ad Novellam istam in collectione Ioannis Scholastici observat *has præstationes legitimo jure fieri postquam Imperator, qui secularium rerum est dominus, illas approbavit. Non enim ob ordinationis gratiam pecunia accipitur, neque propterea indigni admittuntur; sed honorary & beneficentie vice præbetur modicum illud quod lege definitum est*.

X. Sed auctoritate Gregorij magni in synodo Romana vetitum fuit commoda ulrà ordinatoribus aut Clericis ministrantibus pastelli nomine, vel Notariis ob traditionem chartarum, aut alia quacunquæ occasione præberi. Cujus constitutionis occasione de simonia evellenda scriptis ad Episcopos & ad Reges Gallie, ad Metropolitanum Corinthi & provincie Hellados Episcopos, ad Episcopos Epiri, ad Helychium Episcopum Hierosolymorum, & ad Eulogium Alexandrinum. Præjudicij istius rationem quandam habuisse videntur orientales, cum decimo capite mandatorum quæ Patriarchæ tradunt ordinatis à se Metropolitanis statuant ut *Ἐθρονιασμός* (sic enim vocant præstationes illas) non detur Episcopo ordinatori, sed Clericis pauperibus, libro sexto Iuris Græco-Romani. Ceterum in Occidente & Chalcedonenfis synodi canon & Gregorij magni decretum à sequentibus Pontificibus & à posterioribus Conciliis Gallicanis & Hispanicis sæpissime confirmata sunt.

XI. Emerfit tandem nova Florentinorum Iurisconsultorum opinio sexcentis abhinc annis, postquam ordinatio à Beneficiorum datione distingui cœpit; qui nullum simoniae vitium Præbendarum emptioni subesse aperte docebant: quod crimen in sola gratiæ spiritualis, quæ jam in ordinatione tradita erat, nundinatione constituebant; cum redditus Præbendarum seculares essent, & in commercio positi. Quod meritò decretis Pontificum statim & postea confutatum fuit. Ius enim fruendi his redditibus pendet ex gratia spiritali collata in ordinatione; cui fit injuria, si pecuniæ vi ad exercitium redigatur. Porro addici alicui speciali Ecclesie est pars ordinationis, ut superius diximus; ac proinde institutio illa, sive *pronuntiatio*, non potest emi, nec vendi, juxta Concilium Chalcedonense; estque vera & manifesta simonia. Quod Abbo Floriacensis demonstrabat exemplo vinculi quod est inter animam & corpus, animæ ordinationis gratiam & corpori Præbendam comparans.

XII.

Greg. lib. 4. cap. 11.
51. 52. 53. 54. 55.
ep. 7. lib. 7. ep. 5.
113. 114. lib. 9.
ep. 40. 51. 114. 115.
lib. 11. ep. 44.